

eum assensu determinato significare, major quippe est Emphasis illius, quam Jesuita negligentior circa textum originarium sibi fingit, de Invisibilibus Paulus dicit, illa conspici & pervideri, laudat νοήσιν & καθώρτισιν hancque ut intensivam cognitionis attentioni mentali superaddit. In libro Sapientiae vero ad quem quoque respicit, vox θεωρεῖται occurrit, quæ in Novo Testamento ab Apostolis & Christo usurpata, ut plurimum visionem ocularem, aut translata ad mentem notitiam evidentem, vel experimentalem notat. Videantur loca Matth. 27. ψ. 55. & 28. ψ. 1. Marc. 3. ψ. 11. c. 5. ψ. 15. Luc. 14. ψ. 29. c. 24. ψ. 39. Johan. 2. ψ. 23. c. 6. ψ. 19. Act. 3. ψ. 16. Luc. 10. ψ. 18. Johan. 4. ψ. 19. c. 8. ψ. 51. c. 12. ψ. 19. 45. c. 14. ψ. 17. 19. Act. 4. ψ. 13. falsum in hâc communi significatione hæc & similia Scripturam passim usurpare, contrarium patescit ex paulò ante allegatis locis: ubi verò καθορᾶται alibi in hâc, quam hîc proposito suo adaptat Lojolita, significatione invenitur, cum nonnisi semel in toto Novi T. Codice occurrat nonnisi in præfenti loco legatur. Videat autem Vasquez, quomodo transigat cum Patribus super hâc exegefi, qui plane huic Interpretationi ὁμόψυχοι hæc verba de evidenti cognitione accipiunt, teste Cancellario Universitatis Pragæ *part. 1. disp. 2. sect. 2. p. 31.*

## XVIII.

Alterum nostrum argumentum firmitus est, quam forsitan opinatur superciliosus ille Lojolita; argutatur ille, sufficere ad inexcusabilitatem, probabilissimam quandam & prudentem habere posse notitiam, quod oppidò falsum: argumentor: Quicquid mentem humanam non convincit, non subigit, non ad assensum certissimum & infallibilem determinat, illud aliquam rimam relinquit apologiæ coram judicio divino, confestim enim ad accusationem divinam instare posset homo, non obligatus fui ad hoc vel illud agnoscendum, credendum, nisi in conscientia convictus, ne carbonem pro auro, opinabile præ certo apprehenderem, me quemetipsum fallerem, ipsa natura intellectus ita comparata est, ut flectatur quidem probabilibus argumentis, sed non nisi in demonstratione acquiescat, ipsa diffusissima æternæ mentis

H benigni-